

X I X.

NARRATIO

Rerum gestarum in negotio Censuræ, ab Hispanicis Inquisitionibus late adversus XXII. Propositiones, a Jesuitis eorumque affectis assertas contra S. AUGUSTINUM.

Quanta passus sit a Molinistis S. Augustinus post annum superioris sæculi quadragesimum, quantopere periclitata sit Sancti gratiæ Doctoris auctoritas, ac doctrina, tot SS. Patrum, Conciliorum, ac Romanorum Pontificum laudibus consecrata, pauci sunt, qui nesciant. Eodem fere tempore, eodemque ætu, & impetu in illum insurrexerunt Molinistæ Societatis succenturiati milites duo, alter in Academia Lovanien- si, alter vero in Parisiensi; uterque Theologiæ Professor.

In Parisiensi quidem Jacobus Pereyret doctrinam de Gratia in sua Navarrici Collegii Schola traditurus, premisit Apparatum ad Tractatum de Gratia; in quo sanctissimi Doctoris auctoritatem nunc sursum aggreditur, nunc aperte oppugnat, (verba sunt anonymi, qui Apparatum confutavit) nunc aus ultra limites extendit, aut atrollit supra modum, ut postea, coercendo, ac dejiciendo, elidat: nunc aliorum Patrum, quorum patrocinio in variis de fidei doctrina controversis Ecclesia causam suam contra hereticos credidisse videtur, comparatione obnubilat eam, & quasi obtundit. . . . postremo eam, in summorum Pontificum, atque in Ecclesie Romanæ, Catholicæque totius injuriam, sinistra, & malevola interpretatione convertit, quasi tantam auctoritatem aut usurpavit ipse Augustinus, aut qui se ejus discipulos profiteri, magno honori ducunt, eam proprio illius nomini, & privato doctrinæ temerario ausu affinxerint, ac non a Sede Apostolica, atque ab Ecclesia universa traditam tueantur.

Deinde passim per Apparatus sui decursum aperte affirmat inter alia, summos Pontifices doctrinam S. Augustini aliquo pacto improbasse; in aliquibus Augustinum inconsistentem, & varium esse, nec unius labii, & scientiæ; furiosos esse aliquos ejus libros; senioris Augustini Hispanensis nonnullas esse Propositiones etiam nunc scandalosas, & immitentes offensionem in piæ aures; damnatas quasdam in Bajo, & Janenio; genuinas ejus opiniones damnatas a Pontificibus, & a Facultate Parisiensi; Urbani VIII. in Bulla edenda mentem non fuisse, ne præjudicium doctrinæ S. Augustini afferret, &c.

Contra vero de Molina, ut verbo dicam, ejus doctrinam judicasse Augustino contrariam non fuisse censura afficere; damnatam non fuisse a Pontificibus, immo absolutorio Inquisitionis judicio esse probatam.

Audaciam, & temeritatem Apparatoris retudit Scriptor doctissimus libro, quem, tacito nomine, publicavit Parisiæ cum Regis privilegio anno 1650. sub hoc titulo: *Que sit S. Augustini, & doctrinæ ejus auctoritas in Ecclesia . . . in quo excutitur Apparatus ad Tractatum de Gratia, publice traditus in Collegio Navarrico a M. Jacobo Pereyret, Theologo, & Professore Parisiensi.*

Hinc Augustini adversario prævererat Lovanii Joannes Schinkelius Molinistarum, extra Societatem militantium, antiquianus. Is eo temeritatis prorupit, ut scribit insignis Academia Lovanien- sis Theologus in manuscripto D. Augustini Apologia, ut perruptis agminibus, ipsum Augustinum cominus aggrediretur, & in Scholis publi-

cis illius Universitatis non tantum viva voce, injuriosissima quæque, ipsis etiam hæreticis insolita, in venerandum istum Præsulem pronun- ciaret, sed, quo vulnera altius infligeret, disci- pulis quoque suis prelegeret, & distaret Tracta- tum, a se compositum, de Auctoritate S. Au- gustini, in quo nihilo mitius Sanctum illum Doctorem excepit. Recentis nonnullis Schin- kelii propositionibus, quæ infra repræsentabun- tur, cum Augustino (1.) exclamat pius ejus Apologista: *Vide, quantum in pejus proficiunt, cum sine limite timoris, vel pudoris hæc, atque illac vagabunda seritur impunita garrulitas.* Hæc tamen non evasit impunita: Nam Academia Lovanien- sis, graviter excoerata, quod præci- pui Magistri sui nomen, & auctoritatem tam impiis dentibus dilaceratam videret, homi- nis istius audaciam detestata, scripta quo- que ipsius publico Decreto reprobavit 24. Maii 1644.

Neque his contenta, ultra ipsas Alpes reme- dium quaerit, quo auctoritatem Magistri sui vindicaret, & petulantes istas linguas compesce- ret, atque primos illos ejusdem Sancti Patris discipulos, Prosperum, & Hilarium imitata, qui Romam ad Cælestinum Papam profecti aliquando fuerunt, querelamque de Gallorum Semipelagianorum petulantia adversus S. Augustinum deposue- runt; per binos quoque Deputatos suos Apostoli- cam Sedem accessit, (2.) atque exurgentem hodie Semipelagianam in eundem Augustinum teme- ritatem Urbano VIII. Pontifici exposuit, (3.) auctoritatemque ipsius, pro eadem retundenda, instantè imploravit, hoc subjuncto supplici Li- bello.

SANCTISSIME PATER.

„Doctrinam, quam contra inimicos Gratia
„Dei, quia Christiani sumus, excellentissimæ au-
„thoritatis Doctor Augustinus Apostolicæ asse-
„ruit, & Catholicæ Ecclesiæ dotem Prædecessor
„tuus, Clemens VIII., appellare non dubitavit,
„nonnulli, occasione arrepta ex Bulla, nuper in
„lucem emissa adversus Cornelii Janenii, Episco-
„pi Iprensis, Augustinum, infamare præsumunt,
„asserentes, *Quædam dogmata, ab Augustino in*
„*terminis asserta, a Sede Apostolica in terminis esse*
„*damnata.* Hujus præsumptionis perniciosa te-
„meritas adversus antiquos Magistros insolente-
„se erigens, & in injuriam Prædecessorum tuorum,
„Innocentii, Zozimi, Bonifacii, Cælesti-
„ni, Sixti, Leonis, Felicis, Gelasii, Hormis-
„dæ, Joannis, Gregorii, Martini, Clementis,
„aliorumque, redundans, Academia Lovanien-
„sis, pro sua erga Sedem Apostolicam Religiosa ob-
„servantia, viscera non mediocriter conturbavit,
„eo vel maxime quod, non privatim, aut in cu-
„biculari, sed palam, & ex pulpitis, hujusmodi
„calumniis præstantissimi Doctoris memoria car-
„patur, applaudentibus hæreticis, undequaque
„circumiacentibus, & Augustinum (cujus au-
„thoritatem potissimum a Catholicis hæcenus præ-
„mebantur) exactorari, gaudentibus. Hinc est,
„quod

„quod dicta Academia Deputatos suos, Illustris-
„simorum etiam Ordinum Ducatus Brabantia
„Commissionibus literis instructos, ad Sancti-
„tatem suam adlegaverit, ut de opportuno re-
„medio contra perniciem istam providere dignetur.
„In quem finem supplicat humillime dicti De-
„putati, nomine suorum Deputantium, quate-
„nus sua Sanctitas dignetur, uberiores hujus cau-
„sæ cognitionem Cardinalium, & Theologorum
„Congregationi committere, qui, auditis Orato-
„ribus, pleneque informati, Sanctitatem suam
„competenter informet, & remedium, quo præ-
„dictis incommodis tempestive obviari possit,
„sugerant.

Sed Urbano VIII. paulo post e vivis sublato, remedium intermissum fuit; quod tamen ab ipso non frustra sperandum videbatur, quippe qui in primo itorum Deputatorum alioquo (1.) aperte declaraverat, *Intentionis sue nequam fuisse, ul-
„lum præjudicium S. Augustino proferre, (editione
„scilicet præfatæ Bullæ adversus Librum Janenii)
„immo quicquam contrarium asserere præsumerent, co-
„hibendos esse.*

Itaque Innocentium decimum, Urbani in Ca-
thædra Apostolica successorem, rursus interpel-
lat, (2.) porrecto ipsi novo Libello supplici, hic
subnexo.

SANCTISSIME PATER.

Quemadmodum olim ex transalpina Gallia Re-
ligiosissimi Patres, (3.) Prosper, & Hilarius, ad
Apostolicam recurrerunt Sedem, velunt fidei Ma-
gistrum, penes quem incorrupta Patrum servatur
hæreditas, remedium flagitantes, quo Pelagianorum
reliquis, B. Augustini Antifitis doctrinam
vellentibus, adimeretur usurpata malevolentia
libertas; ita nuper ex inferiori Germania ad eandem
recurrit Lovanien- sis Universitas, suppliciter
per Deputatos suos exposcens, & obsecrans, ut
devotissimæ Filia, pro manutenuenda antiquitate
solicite, materis compateretur visceribus, & pro-
strata dudum a Papa (4.) Cælestino licentiosæ
garrulitati, post tot sæcula recrudescenti, medi-
cinalium coercionis obicem præstaret, quem nul-
latenus contentiosæ linguæ transgredi præsumerent.
Usque adeo etenim Neotericorum quorundam ad-
versus tot Pontificum oracula, tot Conciliorum
elogia, tot Patrum, ac Scholasticorum in D. Au-
gustinum cumulata fustigia, obfudescens excrevit
audacia, ut per calcatam tanti Doctoris auctori-
tatem, ad commentorum suorum machinas solidan-
das prodigiosum pontem adnoent. Hinc auditori-
bus, lectoribusque suis hujusmodi superciliosa pro-
pinnat prædicamenta.

1. Augustini quædam dogmata ab Apostolica
Sede in terminis esse damnata.

2. Miseram fore Ecclesiam, si Augustini placiti-
tis obstricta maneret.

3. Ecclesiam a tutela, & pedagia Augustini esse
vinducandam.

4. Augustini auctoritatem non plus valere, quam
rationes, quas allegat, evincant.

5. Augustinum fuisse Doctorem, perinde ac alium
quempiam, etiam modernorum.

6. Augustini dotes, seu naturales, seu infusus,
non fuisse altioris ordinis, quam aliorum Docto-
rum, etiam Scholasticorum.

7. Si post Augustinum nihil Christianæ erudi-
tionis accesserit, Scholasticam Theologiam penitus
rejiciendam fore.

Sery Tom. II.

(1) 26. Nov. 1643. (2) 5. Nov. 1644. (3) Cælestin. Papa Ep. ad Episc. Gall. c. 5. (4) Ibid. c. 1.
2. 3. (5) Prosp. cont. Collat. c. 41. (6) Ibid. c. 1. (7) Joann. Papa 2. Ep. ad Senat. (8) Hormisda Papa
Episc. ad Pollest. (9) Cælest. Papa Episc. ad Episc. Gall. c. 11. (10) Synodus Africanæ, ex Augustini ver-
bis concinnata. (11) Prosp. Ep. ad Russ. (12) Prosp. lib. cont. Collat. c. 1. (13) Prosp. ib.

rerunt. Incredibile namque apparet quamplurimis, qui auctoritate eorum, sine discretionē, ducuntur, aut (1) tarditate eos intelligentiæ, aut temeritate iudicii in superciliosæ quæræ conclamationem prorupisse; ac non potius magno ingenio, vehementique studio laborasse, ut subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis, censura nunc districtor, & inspectio sagacior inveniret, quod antea securus favor, & benignitas incuriosa non viderat.

Hac quippe ratione præsumunt (2) asserere, Ecclesiam usque hodie in suis filiis crescere eruditione; nec advertunt, quod, dum eruditionem suam plus æquo extollunt; ignorantia caliginem superiorum sæculorum Ecclesiæ offundunt; atque ita, dum (3) Ecclesiam Augustini pædagogicæ subducere moliantur, (4) sectariorum huius temporis pestilentissimum dogma stabiunt: ut hinc vel mediocris diligentia indagator perspicat, (5) ad quæ præcipitia perveniatur hinc callibus, & in istam lutescentium rivorum cœnosam ubiginem, cuius voraginis humor exudet. Tuæ igitur pastoralis providentiæ est, Pater Sanctissime, vigilantè despicere, quid facto opus sit, ut novorum Centorum superetur, vel temperetur intentio; (6) cui haud facile quispiam, præter paucos perfectæ Gratiæ intrepidus amatores, aude contraire: (7) ex quo non solum his, qui eos audiunt, verum etiam ipsis, qui audiuntur cum æstimatione crevit periculum; dum & multos reverentia eorum, aut inutili cohibet silentio, aut incurioso ducit assensu, & saluberrimum ipsis videtur, quod pene nullius contradictione reprehenditur. (8) Sanum enim putant esse, quod non dolet, nec vulnus, superducta cute, sentiunt. Sed intelligant, perverenturum ad sectio-nem, quod habuerit perseverantem tumorem. Experiantur in Sanctitate tua hereditarium zelum, quo adversus perversos Augustini emulos prædecessor Cælestinus incanduit, (9) evidentè pronuntians, quantum sibi istius præsumptionis novitas displiceret, qua aaderent quidam, adversus antiquos Magistros insolenter insurgere, & disciplinam calumniam predicationi veritatis obtrepere. Insonet auribus Beatitudinis tuæ memoranda illa ejusdem Cælestini parænesis; (10) Corripiantur hujusmodi, non sit eis liberum, habere pro voluntate sermonem. Desinat incussere novitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Insonet & illud Papæ Sixti, Cælestino succedentis, edictum: (11) Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Quorum prædecessorum vestigiis insistent, Pater Beatissime, (12) adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. (13) Necessarium quippe, & utile est, etiam quæ scripta sunt, scribere, ne leve existimetur, quod non frequenter arguitur, & plures insolentant, dum insolentibus connivetur. Compescatur igitur, te providente, temeritas, aboleatur novitas, stabiatur antiquitas, feriat sermo iste Beatitudinis tuæ aures, quo cognominem prædecessorem tuum Innocentium primum. Synodus Milevitana obtestata est, & quo Sanctitatem tuam Lovaniensis Universitas, pedibus pro-voluta, interpellat, (14) Quia te Dominus, gratia suæ præcipuo munere, in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentia valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesiâ suggerenda sunt, taceverimus, quam ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere; magnis periculis infirmo-

(1) Ibid. (2) Art. 8. hic supra. (3) Art. 3. ib. (4) Dogmaticantium Ecclesiam per multa secula errasse. (5) Prosp. lib. cont. Collat. c. 39. (6) Prosp. Ep. ad Aug. (7) Ibid. (8) Ibid. in fine. (9) Ibid. in fine. (10) Cælest. Papa Ep. ad Episc. Gall. c. 1. (11) Sixtus Papa 3. Ep. ad Episc. Antioch. (12) Prosp. Ep. ad Aug. (13) Prosp. ib. (14) Patres Conc. Milevit. apud Aug. 2. Epistola 92. nunc 176.

rum membrorum Christi, pastorem diligentiam, quæsumus, adhibere dignis. Deus &c.

LIBELLI huius elegantia, mira eruditio, & pro Sanctorum Patrum defensione ingenius vigor, ita Pontificem Innocentium in sui admirationem rapuit, ut in Auctoris quoque laudes ultra erumperet, & post repetitam ejus lectionem, Ministro, qui sibi a Secretis aderat, palam assereret; Romanam Curiam visis talibus carere; eunque mereri, qui illic detineretur, ac promoveretur. Et procul dubio, tot Pontificum in D. Augustinum, ejusque doctrinam suffragia, tot in illius obtrahentes fulmina, etiam Innocentium animum commoverunt ad Prædecessorum suorum imitationem. Nam Libellum supplicem ad S. Officii Congregationem misit: sed adversariorum potentia, artes, & falsæ suggestiones ita prævaluerunt, ut tam necessariam Sancti Augustini defensionem exprimere tunc ab illa non poterit solita illa, & hæreditaria erga tantum Doctorem reverentia, & observantia.

Et hæc Roma gerebantur anno 1644. Post aliquos vero annos, nimirum anno 1649. alia ejusdem Universitatis legatio ad Regem Catholicum decreta est. Hanc obire duo ex illa selecti Theologi, Dominus Recht, & Dominus Gillemans, qui eodem anno Matrum advenere.

Contigit porro anno sequenti 1650, ut per Hispanias spargeretur Libellus, in quo legebantur duæ & viginti illæ Propositiones, in Beatum Augustinum contumeliosissima. Has quippe ex Libello supplicis, superius descripto, excerptas Pater Gonçalves, Ordinis Sancti Dominici, Conventus Atocensis Prior, primitus miserat Patri Aragonio ejusdem Ordinis, in Academia Salmanticensi Theologiæ Professore primario, præfixo illis hoc titulo: *Propositiões a Jesuítis prolata contra S. Augustinum*. Eisdem Aragonio exhibuit Patribus Augustinianis, cæterisque illius Academiæ Theologis, quos omnes mirum in modum ea res perculit.

Seanserunt Patres Augustiniani contumeliæ, per illas 22. Propositiones Beato Patri illatæ, atrocitatem, atque adeo statuerunt, pro viribus eam propulsare. Porro nihil ad eam proterviam reprimendam validius visum est, quam rem ad Regem deferre, ac petere Mandatum regium ad Inquisitores fidei, qui jubentur, Divi Augustini auctoritatem tueri, eaque propositiones ea qua dignæ erant, censura notare. Beati Patris Augustini causam adversus eos, qui ejus auctoritatem, doctrinamque oppugnabant, defendendam suscepit Pater Bartholomæus de los Rios, Augustiniani Ordinis alumnus, qui 25. annis in Belgio demoratus fuerat, acerbique erat Beati Patris sui Discipulus.

Hic, ut captam a se provinciam impleteret, ineunte Martio, Augustino Villavicentio, supremo in Hispaniis fidei Inquisitori, Viro erudito, obtulit Libellum supplicem, quo ad eum deferrebat 22. illas propositiones, & censuramque in eas efflagitabat; demonstrato, quantum Religionis catholicæ interesset, ut Doctorem Sanctissimum Augustino, primario Ecclesiæ columini, sua auctoritas integra, & inviolata conservaretur.

Ejusdem mensis die tertio, supremum Inquisitor, misso e ministris suis uno ad Joannem Recht, Universitatis Lovaniensis Doctorem Theologum, rei, quæ agebatur, ignarum, ei mandat, ut ad se die insequenti veniat: Rumor quippe

pe sparsus fuerat, ab eo propositiones illas fuisse vulgatas.

Continuo vir ille, quarto die Martii, ad summum Inquisitorem se confert; a quo ex juris formulis interrogatus de 22. illis propositionibus, de Auctoris, deque earum in Hispanias delatione, respondit, non paucas ex illis in libris Jesuitarum inveniri; alias Lovanii cum ingenti totius Academiæ offensione, & scandalo, anno 1643. & 1644. traditas, & dictatas a Joanne Schinkelio, Academiæ seniore Doctore, qui dogmata, discipulis suis tradita, tueri non poterat, nisi Divi Augustini auctoritatem everteret; a Joanne Sinnichio, ejusdem Facultatis Doctore, atque apud Romanum Pontificem, ejusdem Academiæ, atque eodem titulo, quo ille Matrui esset, Oratore, summa fide eas propositiones collectas fuisse, atque insertas Libello Memoriali, quem Innocentio X. obtulerat; atque adeo ex illo ipso libello, qui per prælum publicum factus erat, sine dubio excerptas esse, & in Hispanias mansisse.

His rebus cognitis, supremus fidei Quæstor propositiones illas examinandas curat, iisque ad Commissarium Generalem Fratrum Minorum sigillatim misit, ejus de iis sententiam rogat. Ille, cum perlegisset, censere se, respondit, omnes esse vehementissime suspectas; e pectore hæretico sine dubio prodisse; actum esse de Ecclesiâ, si sic pedibus conculcarentur Augustini auctoritas; atque adeo eas e libris, scriptisque omnibus, in quibus reperiretur, expungi oportere.

Tandem die Martii decimo octavo, a supremo Inquisitore fidei tribunali manavit Decretum, quo 22. illæ propositiones proscribentur, tanquam respectu falsæ, improbabiles, absurdæ, malefonantes, & diabolice auctoritatis, temerariæ, erroneæ, sapientes hæresim, & in sanctitatem, pietatem, doctrinamque Gloriosissimi Patris, Sancti Augustini, in clivis Ecclesiæ Columinis, contumeliosæ. Verum illius decreti promulgatio ob causas hæcenus ignotas, dilata fuit. Cæterum Inquisitores Vallisoletani Decretum ediderunt, quo eadem centum propositiones illas 22. notabant; promulgatumque illud Decretum fuit Vallisoletæ, & Burgis eodem anno 1630., uno e diebus Dominicis Quadragesimæ.

Die Martii decimo nono, nempe postridie, quam a supremis fidei Inquisitoribus Decretum editum erat, a Sancti Officii Secretario monetur Joannes Recht, e re futurum, si Regi extendere Libellus memorialis, qui a Sinnichio Innocentio X. oblatas fuerat, quo in Libello 22. illæ propositiones referrebantur, & ad summum Pontificem deferrebantur.

Primo die mensis Aprilis, Regni Valentia Inquisitores eadem propositiones eadem censura, qua supremi in Hispaniis fidei Inquisitores, notaverunt; eaque in omnibus locis consuetis vulgata fuit, ut testatur Provincialis Augustinianorum apud Arragonem, in Epistola, ad Patrem de los Rios data, post tres a censura menses.

Die Primo, & vigesimo mensis Aprilis, cum Joannes Recht, Academiæ Lovaniensis Orator, officiosè viseret Patrem Isephonson Miguel, Dominicanum, in Universitate Complutensi Theologiæ Professore primarium, ab eo intellexit, assertum fuisse a Regis Confessario, propositiones illas 22. a fidei Inquisitoribus censura notatas esse, seque Compluto ejus rei gratia venisse, ut a Patre Confessario illius censura exemplum peteret; sed forte eum abesse.

Interea, cum Decretum illud non vulgaretur, resque illa altissimo silentio premeretur, Patribus Augustinianis trium Provinciarum, Castellanen-

sis, Tarraconensis, & Andalusensis, Comitibus Provincialibus mensis Majo habitis, Pater de los Rios tanta orationis vi docuit, calumnias eorum, qui Sancto Augustino obtraherent, ferri non debere, suumque esse, Patris communis honorem defendere; ut in illis comitiis decretum fuerit, omni, qua liceret, ratione obtrahentibus obstandum esse; reique illius gerendæ, & communi omnium nomine, persequende curam tres præfatæ Provinciae Patri de los Rios demandarent.

Item Patres Dominicani Salmantienfes Comitibus provincialibus, eodem mensis Majo habitis, perpendentes, Beati Thomæ Aquinatis auctoritatem collapsuram, si Sancti Augustini auctoritas, qua altera nixa esset, subverteretur; decreverunt, ut Provincialis Regem, supremum Inquisitorem, Regisque Confessarium adiret, enixeque efflagitaret propositionum illarum censuram; deinde litteræ darentur ad alias Provincias, ut, conjunctis animis, & viribus, resisterent iis, qui S. Augustini auctoritatem, & doctrinam everteret, nitebantur. Hæc facta fuisse, ut decretum erat, non est dubium.

Provincialis Augustinianorum Castellansenfium, & Bartholomæus de los Rios, a Comitibus Matrum reduces, continuo coeperunt exsequi, quod in Comitibus captum erat, consilium; atque adeo Provincialis ille, die decimo mensis Junii, aut circiter eum diem, præcepit Patri de los Rios, ut sine mora Regem adiret, doceretur, quam arroganter Jesuitæ, eorumque asectæ de S. Augustino loquerentur: ab iis de Augustino ea dici, & scriptis publicis mandari, quibus non aliud ageretur, quam, ut primarii illius Ecclesiæ Doctoris auctoritas, & doctrina everterentur.

Igitur Pater de los Rios, ut Provincialis sui iussa faceret, unaque rem, sibi a tribus Provincialibus demandatam, atque in se lubentissime receptam, exsequeretur, petit, ut sibi Regem, remotis arbitris, liceat alloqui, quod eo facilius concessum est, quod Regius esset Ecclesiastes. Admissus ergo ad privatum cum Rege colloquium die 18. mensis Junii, tot cum genitibus, tamque uberibus lacrimis injurias, Divo Augustino a nonnullis Theologis Neoteris contumeliosè, & arroganter illatas, demonstravit, malaque, quæ, nisi eorum audacia, & protervia reprimere-tur, Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ timenda essent, exposuit, ut Rex, ejus oratione tactus, & animo commotus, polliceretur, se ea de re ad summum Pontificem scripserum, auctoritatemque nominis sui interpositurum, ad tuendum inclutum illum Ecclesiæ Doctorem, Augustinum, facturumque ea omnia, quæ utiliora viderentur ad comprimendam illorum audaciam, qui eam Religionem, cujus ipse defensor esset, aggredirentur, sub nomine illius, quo, tanquam firmissimo columine, niteretur. Traditio deinde Regi Libello memoriali, quo ea omnia, quæ verbo docuerat, scripta continebantur, & in quo duæ illæ, & viginti propositiones verbis propriis referrebantur, promissis regis lætissimus, discessit.

Junii die 25. Pater Francisus Gonçalves, Dominicanus, Conventus *Arcensis* Prior, supremum Inquisitorem convenit, propositionum 22. negotium commendaturus. Responditque Inquisitor, in ea re non esse opus commendatione, tum quod id negotium, ut proprium, susciperet, tum quod propositiones illæ proscripserat essent, & censura jam tum notata.

Eodem die Pater Bartholomæus de los Rios cum intellexisset, latum esse censuræ Decretum, Libellum supplicem supremo Inquisitori obtulit, quo trium Provinciarum, Castellanenfis, Tarraco-

conensis, & Andalusensis nomine petebat, ut sibi Censuræ exemplar authenticum traderetur, facultate fieret illud prælo subiciendi, mittendique ad omnes Ordinis sui Conventus, in Tabulariis domesticis reponendum. Deinde eum rogavit, ut conaretur, per litteras efficere apud Pontificem, ut, ad commune Ecclesiæ bonum, injuriam, Divo Augustino per 22. illas propositiones illatam, ulcisceretur. Id in se recepit Inquisitor: qua spe accessit animus Patri de los Rios, libertateque dicendi usus, demonstravit, ad frangendam hostium Augustini, immo potius hostium Ecclesiæ superbiā, non esse satis viginti duo illa eorum asserta notasse; sed, quo altius sentirent vulnus, e re futurum, mandare, ut ex omnibus libris, scriptisque, in quibus essent, expungerentur.

Nec satis fuit Patri de los Rios, proscriptas fuisse propositiones illas per Inquisitores supremos Hispaniarum, per Vallisoleranos, & Burgenfes; dedit etiam operam, ut idem fieret ab minorum locorum Inquisitoribus. Quocirca 28. mensis Junii, a Provinciali Andalusie per litteras petiit, ut illius Provinciae Inquisitores suscitaret, efficeretque, ut 22. illas propositiones non tantum proscriberent, sed, decreto dato, mandarent, ut expungerentur ex omnibus libris, scriptisque, in quibus legerentur. Die vero secundo mensis Julii, litteris datis ad Patrem Thomam Figuerola, Provinciale Tarraconensem, petiit ab eo, ut, causæ communis studio, operam daret, ut Inquisitores novæ Carthaginis, Valentie, atque aliarum Civitatum Regni Tarraconensis, non solum eas propositiones proscriberent, verum etiam edito mandarent, ut ex omnibus libris, in quibus essent, eraderentur. Sed in hoc Provinciali vehementer falsus est Vir optimus, Pater de los Rios; ille enim erat non tam Augustini Filius, & discipulus, quam Jesuita, & Molinæ Sectarior.

Quinto die Julii, Provincialis Andalusensis litteris, ab eo acceptis, respondit; multisque gratulatus summum ejus pro causa communi studium, atebat, existimare se, Inquisitores Andalusenses facile in sententiam supremam, ac generalis Inquisitionis Hispanice ituros, & propositiones delatas, ac proscriptas etiam ex libris expuncturos, si illa exemplo præstiterit; verum videri sibi, non esse per se ipsos ad eos accedendum, aut instandum, ut ejusmodi censuram, sententiamque ferrent, quod animo prævideret, fore, ut, si id ab his peteretur, multa, & longæ nascerentur triçæ, moraque aliæ ex aliis nascerentur.

Duodecimo die Julii, Provincialis Tarraconensis responsum dedit Patri de los Rios humanissimum, atque officiosissimum; ex quo intelligi poterat, quod esset ejus, pro tuenda Patris Augustini auctoritate, & doctrina, studium. Scribebat, sibi negotium, de quo agebatur, per Patris de los Rios litteras sic esse perspectum, ut de eo cum iis, quorum intererat, id est, cum Jesuitis, agere posset. Deinde significabat, ab Inquisitoribus Tarraconensibus jam inde primo die Aprilis mansisse decretum in publicum, quo propositiones illæ 22. proscribebantur, & notabantur, tanquam falsæ, improbabilis, absurde, malefones, piam arrium offensivæ, temerariæ, erroneæ, sapientes hæresim, & in sanctitatem, pietatem, doctrinamque S. Patris Augustini, inclyti Ecclesiæ Columinis, perquam contumeliosæ. Tum zelum, prudentiamque extollebat, quæ elucere in ejus cum Rege colloquio, libelloque, nomine omnium Provinciarum oblato. Ad extremum pollicebatur, se nihil omisurum eorum, quæ adjumento esse possent, in negotio, tam glo-

riose, & Andalusensis nomine petebat, ut sibi Censuræ exemplar authenticum traderetur, facultate fieret illud prælo subiciendi, mittendique ad omnes Ordinis sui Conventus, in Tabulariis domesticis reponendum. Deinde eum rogavit, ut conaretur, per litteras efficere apud Pontificem, ut, ad commune Ecclesiæ bonum, injuriam, Divo Augustino per 22. illas propositiones illatam, ulcisceretur. Id in se recepit Inquisitor: qua spe accessit animus Patri de los Rios, libertateque dicendi usus, demonstravit, ad frangendam hostium Augustini, immo potius hostium Ecclesiæ superbiā, non esse satis viginti duo illa eorum asserta notasse; sed, quo altius sentirent vulnus, e re futurum, mandare, ut ex omnibus libris, scriptisque, in quibus essent, expungerentur.

Nec satis fuit Patri de los Rios, proscriptas fuisse propositiones illas per Inquisitores supremos Hispaniarum, per Vallisoleranos, & Burgenfes; dedit etiam operam, ut idem fieret ab minorum locorum Inquisitoribus. Quocirca 28. mensis Junii, a Provinciali Andalusie per litteras petiit, ut illius Provinciae Inquisitores suscitaret, efficeretque, ut 22. illas propositiones non tantum proscriberent, sed, decreto dato, mandarent, ut expungerentur ex omnibus libris, scriptisque, in quibus legerentur. Die vero secundo mensis Julii, litteris datis ad Patrem Thomam Figuerola, Provinciale Tarraconensem, petiit ab eo, ut, causæ communis studio, operam daret, ut Inquisitores novæ Carthaginis, Valentie, atque aliarum Civitatum Regni Tarraconensis, non solum eas propositiones proscriberent, verum etiam edito mandarent, ut ex omnibus libris, in quibus essent, eraderentur. Sed in hoc Provinciali vehementer falsus est Vir optimus, Pater de los Rios; ille enim erat non tam Augustini Filius, & discipulus, quam Jesuita, & Molinæ Sectarior.

Sub finem mensis Augusti, Bartholomæus de los Rios, rursus ad Regis pedes prostratus alterum Libellum supplicem obtulit, quo, trium Provinciarum, Castellaniensis, Tarraconensis, & Andalusensis nomine, flagitabat, ut Rex, interposita auctoritate sua apud Innocentium X., peteret, decreto Pontificio sententiam Inquisitionis generalis Hispaniensis, jussu Regis in 22. propositiones latam, confirmari.

Sub idem tempus Pater de los Rios Libellum supplicem obtulit Inquisitori generali, quo, nomine earundem Provinciarum, exponebat, decretum Censuræ, ab eo latam in 22. propositiones, in publicum editas, quibus Sancti Augustini auctoritas convellebatur, neque Matriri, neque in ullo Oppido Archiepiscopatus Toletani fuisse promulgatum, quamquam Censuræ exemplaria ad omnes Regni Hispaniarum Inquisitores ideo missa essent, mandatumque, ut solemniter ubique promulgaretur. Quare supplicem petebat, ab Inquisitore generali mandari, ut Matriri, Toleti, inque Oppidis omnibus illius Archiepiscopatus, Censuræ publicaretur, designatis, & ad verbum expressis viginti illis, & duabus propositionibus.

Tum postulabat, ut sibi Decreti, & Censuræ exemplar authenticum traderetur, facultateque fieret ea prælo subiciendi, mittendique ad omnes Augustinianorum Conventus, in Tabulariis domesticis asseranda.

Paucis exinde diebus publicata fuit Matriri ea Censura, & ad valvas Ecclesiæ Sancti Sebastiani, inque aliis locis consuetis affixa: sed continuo detracta fuit ab emissariis eorum, qui patiebantur, suos Theologos impune in S. Augustinum jactare contumelias, nec fere poterant, ut adversus obrectatores Augustini defenderetur: eoque factum est, ut vix ullis norum esset, aut editam fuisse Censuram, aut publicatam; illique, quorum jussu, & cura detracta esset, facile foret, hominibus persuadere, neque affixam uspiam, neque latam fuisse. Traditur etiam fuit Patri de los Rios exemplar Censuræ authenticum jussu supremi Inquisitoris.

Fuit & Sancti Augustini obrectatoribus, qui ausus est, lingua perulantissima Censuram contemnere, scriptoque mandare, eam forte esse censuram trium, quatuorve Theologorum, cui nullus neque dies, neque mensis, neque annus adscriptus esset, quia scilicet adscripti non essent in quibusdam exemplaribus, in quibus satis visum

fuera, propositiones ad verbum exprimi, adjuncta Inquisitorum sententia.

Eodem hoc anno 1650. editus est in lucem a Patre Joanne Adam, Jesuita Gallo, cum permissione Patris Claudii Delingendes Provincialis, & approbatione trium e Societate Theologorum, liber, materna lingua scriptus, hoc titulo: *Calvinus, a se ipso, & armis S. Augustini, que injuste usurpant, jugulatus*, in quo Jesuita ite amplius audebat, quam omnes Collegæ sui, eorumque in Augustini auctoritatem, & doctrinam contumeliis addebat: adeo Jesuitæ animos, ab Augustino alienos, manifestabant, ut, si fieri posset, tanto Ecclesiæ lumini tenebras offunderent.

Bartholomæus de los Rios intelligens, eos, qui auctoritatem S. Augustini frubere nitebantur, quo facilius sibi deinde esset, ejus doctrinam agredi, & errores suos constabillire, indies magis insolecere, nulla habita ratione Censurarum, quæ de cætero in paucorum noticiam venerant: sub initium anni 1651. novum Libellum supplicem Inquisitori generali obtulit, in quo memorabat I. Ut a malevolis, & Augustino infensis hominibus avulsa fuissent Censuræ, in 22. propositiones latæ, exemplaria, continuo ut affixa fuerant; quo factum esset, ut paucis Censura nota esset, dubiumque foret perisque, an decretum ejusmodi vere fuisset editum. II. Fuisse ex audacibus illis hominibus quempiam, qui paulo ante de ea Censura arroganter in scripto publico dixisset: *Noli se ferre, ut Decretis Pontificum opponatur censura trium sorte, aut quatuor Theologorum, qui proscripterunt (quo die? quo mense? quo anno?) viginti duas propositiones, que ad doctrinam nihil attinent, sed eo titulo, quod æqua lance auctoritatem S. Augustini non æstimarent*. II. Venisse in suam noticiam, summa impudentia Joannem Adam, Jesuitam, de S. Augustino pene, ut de Calviniano, loqui in libro, quem anno proxime elapso ediderat. Quapropter ab Inquisitore generali, nomine trium Provinciarum, Castellaniensis, Tarraconensis, & Andalusensis, supplex petebat, ut, ejus jussu, iterato Censuræ, in 22. propositiones lata, decretum promulgaretur, eaque cura in affigendo adhiberetur, ut neque avelli, neque lacerari posset; tum sibi illius exemplar authenticum traderetur, in quo ad verbum expressæ essent viginti illæ duæ propositiones; ut eo, tanquam telo, uti posset adversus eos, qui auderent, decretum illud aut contemnere, aut in dubium revocare.

Tunc demum, jussu supremi Inquisitoris, exemplum authenticum Decreti, & Censuræ, in 22. Propositiones latæ, Patri Bartholomæo de los Rios datum est, Rexque a Pontifice per litteras petiit, ut eam Censuram confirmaret, arrogantiamque frangeret eorum, qui tam irreverenter de Sancto Augustino loquerentur. Cum Regis Catholici litteras accepisset Pontifex, atque una Libellum Memoriali, quo petebatur, ut Censuram Hispaniensem confirmaret, & Sancti Augustini auctoritatem tueretur, Pontifex eum Libellum ad eos remisit, qui ejusmodi rerum examini secreto præfeci sunt.

Verum, cum Albizius, S. Officii assessor, ejusque affecta jam a sex annis staturissent, omni, qua pollebant, auctoritate obstare, nequid pro Augustino, ejusque doctrina Romæ decerneretur, nisi Theologi Lovanienses, quibus faveret ea censura, illorum votis, de quibus supra, morem gereret; moniti sunt ii, ad quos Libellus Memorialis mittebatur, in eo negotio nihil esse precipitandum: atque ita nihil a Romanis Inquisitoribus pro S. Augustini adversus obrectatores illos novos defensione obtineri potuit.

Dum hæc circa XXII. Propositionum Censuram gererentur in Hispania, putavit Pater de los Rios, e sua, Augustinice re esse, de omnibus Generalem sui Ordinis certiore facere. Ad eum igitur, Romæ, ut moris est, commorantem, litteras dedit vel exeunte mense Junio, vel Julio ineunte, anno 1650. Is erat R. Pater Philippus Vicecomes, S. Patris Augustini genuinus filius, studiosissimusque Discipulus. Illis litteris primo docebat de Propositionibus Augustino contumeliosissimis, de capto in Comitibus Provincialibus consilio, deque partibus, quæ sibi data essent in decreto adversus hostem communem bello: quas ut impleret, se habuisse secretum cum Rege colloquium, in quo Rex pollicitus esset, se de eo ad Pontificem scripturum; se pariter apud Generalem Hispaniarum Inquisitorem iustitiae de coercenda obrectatorum Augustini protervia. Tum rogabat enixe, ut eandem causam Romæ tuendam ipse susciperet, deserret ea de re querelas ad Pontificem, rogaretque etiam, atque etiam, ut præsens, & properatim remedium afferret malis, quæ Ecclesiæ imminerent, si impune homines audaces illius auctoritatem convellerent, a quo ea vellet ut discederent fideles, quid sciendum, quidve credendum esset de Divina Jesu Christi gratia, mysteriorum nostrorum sanctissimo juxta atque altissimo. Litterarum istarum exemplar in manus meas venit: sed & penes me est autographum Generale Responsum Romæ 11. Martii 1651. datum, quo & ardens viri pro Augustino studium impense laudat, & operam suam illi non defuturam, spondet, ad vindicandas tanti Doctoris injurias. Dignæ sunt utriusque Litteræ, quæ non intereant; quamobrem iis inter hujus causæ instrumenta locum dabimus.

Iis receptis, Pater de los Rios novos animos sumpsit, ad eundemque Generalem iterum dedit litteras, 20. Maii 1651. exaratas, quibus ardenti adversus Augustini obrectatores zelo succensum, se ejus litteris significat; eadem se cum Provinciarum Superioribus, & Magistris communicaturum; paratum se ad Sedem Apostolicam, Prosperi exemplo, accurrere, remedia tantis malis a Summo Pontifice postularum; ex parte Definitorii Ordinis Sancti Dominici ad suam Generalem scriptum fuisse pro eadem Augustini causa. Has quoque litteras suo loco representabimus.

Tertio ad eundem scripsit, finalque misit Propositiones, ab Inquisitoribus Hispanis confixas. Hoc discimus ex Responsione Generalis, Romæ data 15. Septembris 1651. quam exhibebimus ad calcem aliorum instrumentorum. Illa porro docet nos, vix aliquid per id temporis a Romanis sperandum fuisse Inquisitoribus. Jam tunc enim ferre incipiebat causa quinque Propositionum, quarum occasione complures Galliarum Episcopi ad Summum Pontificem Theologos cum litteris legaverant, qui tuendæ Sancti Augustini doctrinæ strenue adlaborarent, instarentque sollicitè apud Apostolicam Sedem. Constat tamen aliunde, non incassum proflus cecidisse Hispanorum Augustinianorum, Dominicanorumque conatus, & litteras, suoque officio non defuisse utriusque Ordinis Generales. Nam Dominicani Ordinis Præpositus, novo per illa tempora Mandato ad omnes Monasteriorum Superiores misso, injunxit, ut ab omnibus sui Ordinis Concionatoribus, ac Theologis Sancti Augustini doctrinam ubique constanter, & intrepide prædicaretur, docereturque. Uterque vero Generalis conjunctim Summum Pontificem convenire, enixisque precibus a sua Sanctitate postulare, ut crescentem indies, adversus Sancti Augustini doctrinam, auctoritatemque, æmulorum

audaciam, ac proterviam auctoritatis Apostolica compelleret. Tum æquis postulatis benigne annuit Pontifex, iussitque, ut peculiari Decreto XXII. Propositiones, S. Augustini nomini, & honori tam contumeliosæ, sine mora proferberentur. Sic promissa exolvit Augustiniani Ordinis Moderator, qui ultimis illis litteris significaverat, et primum paulisper a scriptis temperandum, cedendumque ad tempus adverbis: Deinde Sanctissimo Domino, ejusque ministris, quorum interest, supplicandum, ne tam perniciosam pestem diutius serpere sinerent: in quo partes nostras, inquiebat, desiderare non poterimus: verum conatus illos, iussaque Pontificis irrita fecere vastitatis, arteque Molinificæ.

Post illas igitur inducias, resumptis scriptorum armis, ad Sanctissimi Doctoris Defensionem accinxerunt se Augustiniani agminis strenui pugiles non pauci, qui magni Parentis partes acerrime defensoverunt. (Magni Norisii verba usurpo (1)) Pater Carolus Moreau Gallus, qui Tomo I. suarum in Terullianum Animadversionum satis proluxas vindicias pro Augustino inseruit: quod iidem præstiterat Vir insignis, Joannes Rivius, Belgæ, libro 4. de Vita Augustini. Non satis fuit Patri Moreau, Augustinum a calumniis vindicare, sed insuper ad investigandam, in sublimioribus, profundioribusque Theologicæ discipline questionibus, Augustini mentem, præsentibus facem Egidio Romano, & Gregorio Ariminensi, animum applicuit, aliisque, ut idem faceret, auctor fuit. De utroque viri opere egregio certiores non facit ejusdem Reverendissimi Patris Philippi Vicecomitis, Augustinianorum Generalis ad eum scripta Epistola, Romæ 24. Februarii 1653. qua illum meritis laudibus prosequitur, pro defensis, & illustratis S. Parentis sui scriptis, auctoritate, ac veneranda memoria. Hanc Epistolam pariter cum aliis excusam habebit Lector in sequentibus.

Verum omnes illos Augustini Defensores longo post se intervallo reliquit Eminentissimus nunc Cardinalis Norisius in illo immortalis Opere, quod Sanctissimi sui Patris honori vindicando consecravit, ac publicavit typis Patavinis, hoc titulo: *Vindiciæ Augustiniane, quibus S. Doctoris scripta adversus Pelagianos, ac Semipelagianos a Recentiorum Censuris asseruntur: Auctore P. M. Henrico de Noris Veronensi, Augustiniano, S. Theologie Professore, & S. Romanæ universalis Inquisitionis Qualificatore: cuius operis condendi primam occasionem si curiosus inquiramus, contabit, eam fuisse Libellum illum supplicem, Innocentio Papæ X. a Lovaniensibus Theologis anno 1644. oblatum: ex quo decerpæ duæ, & viginti illæ Propositiones, Sancto gratiæ Doctori injuriæ, & per Hispaniam vulgatæ, Augustinianorum animos ad sui Parentis defensionem inflammaverunt.*

DECRETUM, (2) ET CENSURA

Inquisitionis Vallisoletane in viginti, & duas Propositiones,

SANCTO AUGUSTINO

contumeliosissimas.

Nos Inquisitores Apostolici contra hæreticam pravitatem in Regno Castellano, Legionensi, & Principatu Asturienti per auctoritatem Apostolicam &c. commorantes in hac Civitate Vallisoletana, omnibus, & quibuscumque personis commorantibus, aut habitantibus in omnibus Civitatibus,

pagis, & locis nostri districtus, qualicumque status, gradus, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ quicumque; exemptis, & non exemptis: unicuique, & quicumque, qui in notitiam devenierint eorum, quæ in hoc præfati mandato continentur, salutem, & benedictionem.

Vobis notum sit, sacre Inquisitionis Decreto revocatas esse, & prohibitas viginti duas Propositiones, doctrinæ Sancti Augustini contrarias, quæ insertæ fuerunt Memoriali, suæ Sanctitati oblato, quarum prima est, *Augustini quædam dogmata &c. p. 232.* postrema vero hæc, *Non recte dicitur &c. p. 233.* quia præfate Propositiones sunt respectively falsæ, improbabilis, absurdæ, malefones, piam aurium offensivæ, temerariæ, sapientes hæresim, & graviter injuriôsæ Sanctitati, pietati, & doctrinæ gloriosissimi Patris S. Augustini, unius ex Ecclesiæ columnis.

Ideo tenore præfatum mandamus omnibus, & unicuique vestrum, qualicumque sit, qui penes se habent aut scripta, aut libros, sive manuscriptos, sive impressos, qui hoc nostro mandato continentur, ut posthac nemo audeat habere, legere, vendere, aut imprimere, sed potius, quotquot habitatis in hac Civitate, feratis nobis; ii vero, qui foris habitant, ferant nostris Commissariis. Atque ita facite, observate, & executionis mandate sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, post tres monitiones canonicas, & viginti millium maravedis pro expensis S. Officii: cum præventionem, quod procedatur ad declarationem, & executionem harum censurarum, & pœnarum, & in omni juris rigore contra non exequentes, aut rebelles, & inobedientes. Datum in Sancto Officio Inquisitionis Vallisoletanæ. 28. Martii 1650.

Signatum,

Dom. HENRIQUEZ DE PERALTA, ET
CARDENAS, Doctor.

Dom. ALONSO LIANO, DE BUELNA,
Licentiatas.

Dom. BARTHOLOMÆUS MARCHIO,
DE MOSCOLO.

De mandato Sancti Officii Inquisitionis

Dom. FERNANDO MARTINEZ ZUNIGA,
Secretarius.

Ego Commissarius S. Officii fidem facio, hoc Decreti exemplar conforme esse originali, decretumque hoc Sacri Tribunalis Vallisoletani in primaria Burgorum Ecclesia lectum fuisse per Franciscum Alvarez de Castro, Sancti Officii, & præfate Civitatis Notarium, quodam die Dominico quadragesimæ, proxime elapse anni 1650., coram Decano, & Canonis, testibus Jac. de Ariaga pa. de la Mota, & Francisco Perez de Cuillar, præfate Ecclesiæ Janitoribus. In cuius rei fidem signavi, nomine proprio apposito. Burgis, Calendis Martii 1651.

Dom. PEDRO MIGUEL, Doctor.

DE

(1) Norisius Prefat. Vindic. August. (2) Ex Hispano idiomate Latine reddiditum.

DECRETUM, (1) ET CENSURA

INQUISITIONIS GENERALIS
HISPANIARUM

adversus duas, & viginti Propositiones,

SANCTO AUGUSTINO

perquam injurias.

Illusterrimus Dominus Episcopus Placentinus, Inquisitor Generalis, cæterique sanctæ Inquisitionis generalis Consilii Regis, deliberatione habita 18. Martii 1650. Decretum ediderunt, quo in forma consueti prohibent, & proscribunt viginti duas Propositiones sequentes, 1. *Augustini quædam dogmata &c. p. 232.*

Quia præfate Propositiones sunt respectively falsæ, improbabiles, absurdæ, malefones, piam aurium offensivæ, temerariæ, erroneæ, sapientes hæresim, summopere injuriôsæ sanctitati, pietati, & doctrinæ unius ex Ecclesiæ Catholicæ columnis, scilicet Gloriosissimi Patris Sancti Augustini.

Libellus Memorialis, continens nomina, & loca Auctorum, quorum Propositiones XXII., Sancto Patri nostro Augustino contumeliosæ, per Hispaniam disseminantur.

Ex Propositionibus XXII., suæ Sanctitati in Memoriali exhibitis, Joannes Schinkelius, Sacre Theologiæ Lovanii Professor, docuit, & discipulis didicit 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 10. 11. & 12.

Septima, octava, & 22. leguntur in Libro Patris Joannis Roberti Jesuitæ, cui titulus est: *An Nathanael fuerit Bartholomæus Apostolus?*

Decima tertia, 18., & 19. sunt Gabrielis Vasquesii. Prima quidem t. 1. in 1. 2. disp. 132. c. 3. n. 14. Secunda vero t. 1. in 1. p. disp. 97. c. 3. n. 20. Tertia denique t. 2. in 1. 2. disp. 193. c. 4. n. 39.

Decima quarta, 15. 16. & 17. sunt Ludovici Molinæ; prima in tractatu *De opere sex dierum.* disp. 1. Secunda in Concordia q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. Tertia ibid. memb. ult. Quarta ibid. memb. 6.

Vigesima, & 21. excerptæ sunt ex Articulis n. 12. & 20. Jesuitarum Lovaniensium, Censura notatis ab Universitatibus Lovaniensibus, & Ducentis an. 1587. & 1588. nam prior continetur in Articulis 14. & 15. in verbis, *Cum grano salis &c. item valde improprie: Junctis in iis, quæ tradit Lessius de Præd. & reprobat. sect. 4. n. 43.* Posterior continetur in art. 23. his finalibus verbis: *Quod si contraria sententia esset Augustini, non admodum referret.*

MEMORIALE,

Regi Catholico oblatum per Reverendum Patrem

BARTHOLOMÆUM DE LOS RIOS,

AUGUSTINIANUM 18. Junii 1630.

R E X.

Pater Magister Bartholomæus de los Rios, a Serry Tom. II.

(1) Ex Hispano idiomate Latine reddiditum.

pod Regiam Tuam Majestatem Verbi Divini Congregator, & Primarius in hac Castellana Provincia Ordinis S. Augustini Definitor, ex mandato, & nomine tum præfate, tum Andalusienfis, & Tarraconensis Provinciæ, exponit, prædictas Provincias, perpenso bello pudenterissimo, quod apertis signis Sancto Patri nostro Augustino quidam Ecclesiæ filii inferunt, ea audacia tanto dolore affectas fuisse, ut prævidentes incendia, quæ ab illis scintillis timenda sunt, mala ingentia, quæ toti Ecclesiæ prælagiuntur, & pericula Reipublicæ Christianæ imminetia, existimant, officii sui esse, id claris verbis Majestati vestræ manifestare, ut remedia opportuna adferre velit tantis malis, quæ S. Augustini Ordinem dedecorant, gloriosum ejus Patrem contumelia afficiunt, & in Ecclesiæ ruinam vergunt. Id manifestum faciunt tot ignominiosæ contumeliæ, ab iis in sanctum Doctorem factæ, quas hic subnectimus, nempe:

„ Augustini quædam dogmata ab Apostolica Sede in terminis esse damnata.

„ Miseram fore Ecclesiam, si Augustini placitis obstricta maneret.

„ Ex Augustini opinione de peccato originis, cogi nos, incidere in sententiam Pelagii.

„ Ecclesiam a tutela, & Pedagogia Augustini esse vindicandam.

„ Augustinum sacrarum Scripturarum auctoritatem sua expositione enervare, & ludibrio infidelium exponere.

„ Augustinum fuisse Doctorem, perinde ac alium quempiam, etiam modernorum.

„ Augustini sententiam a multis duram nimis, indignamque Divinæ bonitate, ac clementia judicari, non mirum.

„ Augustinum Juliani Pelagianistæ argumentis non satisfecisse.

„ Non esse citandum e palpitis S. Augustinum, quia ejus nomen in odio sit.

„ Theologiam S. Augustini de peccati originis, illis traduce esse ruiticam: pluresque alia ejusdem generis contumeliæ.

Qui talia effutunt, possunt, Rex, ignorare, S. Augustinum (Patrem nostrum) esse præcipuum Ecclesiæ firmamentum; quando ejus doctrina, atque armis, quæ ejus scripta suppeditant, debellatae sunt omnes hæreses, quæ ab ipsius ætate in hæc usque tempora prodierunt; atque ex doctrina, ex verbis, & sententiis ejus Ecclesia Catholica in Conciliis œcumenicis canones suos, & decreta formavit? Immo Cælestinus I. Pontifex in Sancti Augustini laudem scripsit; nec unquam hunc sinistra suspitionis rumor asperit; sed inter Magistros optimos semper est habitus. Et Joannes II. Sancti, inquit, Augustini doctrinam, secundum prædecessorum meorum Statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia. Non breve aliquod Memoriale, sed libri, & volumina ingentia impleri possent laudibus, & encomiis, quibus Summi Pontifices, Concilia œcumenica, & auctores Catholici celeberrimi S. Augustinum, eximium Ecclesiæ Doctorem, celebrant. Si vero communis omnium fidelium de eo sententia, & existimatio quaratur, omnium una erit responsio, ab eo lædi oculorum Ecclesiæ pupillam, qui de S. Augustino male loquatur.

Et quoniam ea erat Cælestini I. mens, & cogitatio; hæc verba, quorum summum momentum est, scribere non dubitavit: „ Bene ergo de eo omnes in commune sentierunt, utpote „ qui ubique cunctis & amori fuerit, & honorati. Unde resistatur talibus, quos male crescere

P

P

P

P

videmus. Nefas est, hæc pati religioſas animas. Eodem animo Sanctus Proſper in eos, qui male de Sancto Auguſtino loquebantur, hæc dicit: Non ergo negligendum eſt hoc malum, quod ab oculis, pravique ſeminibus augetur quotidie, & ab ortu ſuo latius, longiusque diſtenditur; ſed ſtudendum eſt, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocrifis detegatur, qui ex ipſa injuria magnitudine, quam in uno cunctis, ac præcipue Apoſtolicæ Sedis Pontificibus, intulerunt.

His de cauſis præſate Provinciæ, ac in primis Caſtellenſis, ſingulari Religionis ſtudio, & ardore animata, in ultimis Comitibus Provincialibus, quæ menſe Maio proxime elapſo habita ſunt, congregata, prævidens etiam incendium, quod totam pervafurum eſt Eccleſiam, ingentemque tumultus, qui univerſæ Reipublicæ imminet, ſtatuit, ſine mora ſuſcipere deſignationem S. Auguſtini, inclyti Patris noſtri, qui eſt Eccleſiæ Catholiçæ murus inviſiſſimus, armorumque adverſus hæreticos armamentarium opulentiffimum. Quoniam verò viſum eſt, nullum eſſe remedium aut levius, aut placidius, aut præſentius ad tanta mala avertenda, quam ſi ad Regiæ Majestatis auctoritatem confugeret; præſatus Orator ſuppliciter a Te, Rex, qua poteſt, animi demiffione, efflagitat, nomine Caſtellenſis Provinciæ, allarumque ante dictarum, ut tituli ſingularis protectoris Eccleſiæ, officiique, ex eo titulo manantis, memor, auctoritatem regiam apud Sedem Apoſtolicam interponas, datique ad Pontificem litteris, enixe poſueris, ne patiatur, cum ſummò Eccleſiæ damno, atque fidelium offenſione labefactari, aut deſpici S. Auguſtini auctoritatem; ſed potius coerceatur eorum inſolentia, qui Sancto Doctore audent contumeliam facere. Id ſi a Te, Rex, quem Deus ſoſpitet, obtinuerit, nomenque, & auctoritatem regiam interponere volueris, ut inolite non ſint factæ S. Auguſtini injuriæ, Divus ille, & univerſa Beatorum turba pro Te decertabunt. Quando S. Auguſtini præcipuus fuit deſenſor gratiæ, quæ, teſte Divo Joanne Chryſoſtomo, omnium bonorum parens eſt, imperabit a Deo Sanctus Doctore Majestati Tuæ copioſos gratiarum theſaurus, quæ Te, ubi opus erit, tueantur, & in rebus adverſis protegant. Proponere Tibi, Rex, in exemplar Majorum tuorum, in S. Auguſtinum amorem. Præclara in eum amoris ſigna edidit Margarita Auſtriaca Regina in Regio Incarnationis Monafterio, Quid Philippus tertius, Rex piſſimus? qui tanto affectu animi, ac ſtudio egit apud Sanctam Sedem, ut S. Auguſtini Patris noſtri feſtum tota Hiſpania celebraretur? Atque ita, Rex, non magis Regnorum ejus hæres es, quam virtutum, & pietatis S. Auguſtini, qua eum colas, & tuearis.

Id ſummò ſtudio exoptant hic apud Te, Rex, ſupplices, id enixiſſime, & ea, qua poſſunt, maxima animi demiffione efflagitant, denique id expectant, Tuæ pietati, religionique conſiſtæ, Provincia Caſtellenſis, cæteræque &c.

SCRIPTUM,

In quo proponuntur Rationes, & Fundamenta, quibus nititur Liber Memorialis, a Patre

BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS
REGI CATHOLICO,

Nomine trium Provinciarum, Caſtellenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis, Oratoris Evange-
rum S. Auguſtini, oblati.

Propoſitiones, S. Auguſtino injuriæ, quæ in Libello memoriali, Regi oblato referuntur, ſere omnes ex aliis pluribus ſelectæ fuerunt. Vigiſimilæ duæ, quæ per Hiſpanias ſparſæ ſunt, & quæ in manibus multorum verſantur, in meas etiam venerunt. Eas perlegi cum ſumma indignatione, ſummoque dolore, cum videremus, in iis indigniſſime, & contumelioſiſſime haberi Sanctum Patrem noſtrum, Auguſtinum, Eccleſiæ Solem, Doctoremque Coryphæum.

Sed, cum non designarentur 22. illarum Propoſitionum Auctores, inſiquiri, ſi forte reperiri poſſet, qui majorem Propoſitionum illarum, auctoritatemque noticiam haberet. Tandem comperi, duodecim ex illis reperiri in variis variorum Auctorum libris, decem reliquas traditas fuiſſe, & dictatas Lovanii a Joanne Schinkello, illius Academiae Doctore Theologo: qui cum ſere non poſſet, tantam a quibusdam Theologis de S. Auguſtino exiſtimationem tum voce, tum ſcriptis ſignificari, aut ei tantam auctoritatem attribui, aut eum in Divinæ gratiæ doctrina arbitrum ſtatui, putavit, a ſe nihil fieri poſſe, ad placita ſua, quæ aliorum placitis adverſa erant, tuenda opportunius, quam ſi ita de Auguſtino loqueretur. Atque ita, ut, quod cogitabat in Auguſtinum, cujus auctoritatem evertere meditabatur, periret, ſternereque ſibi eo pacto viam ad everendam auctoritatem eorum, quos ipſe adverſarios, Auguſtinus vero deſenſores habebat; anno 1643. & 1644. cepit, diſcipulis ſuis in ſcholis Lovaniſibus dicere tractatum hoc titulo: De auctoritate Sancti Auguſtini, in quo tanto cum contemptu de S. Auguſtino loquebatur, ut in eo omnem hæreticorum inſolentiam ſuperaret. In eo tractatu quaſdam e contumelioſis hiſce, & plenis offenſionis Propoſitionibus ad verbum tradidit, alias in variis diſputationibus publicis pronuntiavit, loquens de Viro illo Sancto cum deſpectu, & factidio coram cæteris Doctoreſibus, cætuque auditorum frequentiffimo: atque id arrogantiam tam inaudita ab eo factam, referret, ut Univerſitas Lovaniſis pro eo, quo eſt, ſuitque ſemper in Sanctum Patrem noſtrum Auguſtinum, quem pro Magiſtro habet, & veneratur, ſtudio, & amore, illius Doctoreſis tractatum, orationemque ſuperbam reprobarit. Veram nihil id valuit ad aliorum quorundam obſtreclorum audaciam, furemque reprimendum.

Ea peſtis Pariſis uſque graſſata eſt, ubi Eccleſiaſtæ, fama celeberrimo, crimini datum eſt, quod in ſubjecto frequentius auctoritatem S. Auguſtini allegaret; moniſque eſt, ne id deinceps facitaret, hac addita ratione, quod Auguſtini nomen jam in odium veniſſet. Tum alius quidam & ſcripſit, & voce effuſit contumelias alias, quæ ſine horrore referri non poſſunt. Porro omnes, ſimul conjunctæ in variis exemplaribus, hic diſſeminantur.

Quando autem argumentis certiffimis cognovit illa-

illuſtriſſimus Dominus Inquiſitor Generalis ea, quæ Lovanii geſta ſunt, & de cæteris Propoſitionibus, quæ in libris impreſſis legantur, nullum eſt dubium; ſi tres Provincia, Caſtellenſis, Andaluſienſis, & Tarraconenſis, a Rege petierint, ut rem illam ad Inquiſitionis tribunal remittat, præcipiatque, ut Propoſitiones, tam offenſionis plenas, proſcribant, mandentque, ut ex omnibus libris, ſive editis, ſive manuſcriptis, in quibus ſint, expungantur; videatur ſaris fore ea, quam de his habet noticiam ſupremus Inquiſitor, adſiſtente ea quæ Regi datur per Scripta, Memoriali ipſi oblato adjuncta.

Quamquam etiam verum ſit, Inquiſitores Valliſoletanos primos fuiſſe in proſcribendis præſatis Propoſitionibus, quia nulla ratione ferri poſſent, quin una tantum Eccleſiæ Doctore, S. P. N. Auguſtinus ſumma injuria aſſiceretur, univerſique fideles offenderentur; Caſtellenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis Provincia cenſuerunt, filiorum eſſe, nomen, & auctoritatem Patris communis tueri, ſtatureruntque, a Rege petere, quandoquidem ſit Eccleſiæ Deſenſor, mandare velit, ut non ſolum cenſura merita notentur illæ 22. Propoſitiones, ſed etiam, ut ex omnibus libris, tum editis, tum manuſcriptis, & ubicumque locorum ſint, expungantur.

Præterea, cum gliſcat indies hoc incendium, meritoque timendum ſit, ne magnam Eccleſiæ partem corripat, non potuit excogitari a præſatis Provinciis præſentium remedium, ad obſtruenda calumniatorum ora, ſiſtendaque una opera tanta mala, quam, ſi ſupplices a Rege peterent, nomen ſuum, & Auctoritatem interponere vellet apud Pontificem, ut ille, antecelſorum ſuorum exemplo, & imprimis Zozimi, Innocentii I., Bonificii, & Cæleſtini, quorum meminit S. Proſper in libris adverſus Collatorem, & ex boni Paſtoris officio, hominum iſtorum ferocitatem, & arrogantiam comprimeret, coereretque: præſertim tempore hujusmodi, quo, ob magnam variarum hæreſeon copiam, necesse eſt, ſuam Sanctis Patribus in Eccleſiæ reverentiam conſervari; eorum enim auctoritate collapſa, nihil ſere ſuperest, quo hæretici cum confundantur, aut ad Eccleſiæ Unitatem, Sedisque Apoſtolicæ reverentiam revocentur.

Eo pacto, dum Eccleſiæ filii SS. Patrum doctrinam vilipendant, arma ad conjuratos Eccleſiæ hoſtes debellandos validiſſima projiciunt, lataque aperitur via ad errores omnes diſſeminandos, dum cuilibet permittitur libertas in rebus Theologicis opinandi, & docendi, quæ in mentem venerint; quo nihil eſſe poteſt periculofius, quandoquidem & fides perpetuo periclitabitur, & ad omnes hæreſes aditus datur patentiffimus.

I. MEMORIALE,

INQUISITIONI GENERALI

ORLATUM

A R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS

26. Junii 1650.

ILLUSTRISſIME DOMINE.

Pater Magiſter Bartholomæus de los Rios, Regius Eccleſiaſtes, & Primarius hujus Provinciæ Caſtellenſis Ordinis S. P. N. Auguſtini Deſenſor, ſupplicat demiffiſſime, nomine dicte Provinciæ, item Andaluſienſis, & Tarraconenſis, peti-
tisque, ut ſibi tradi præcipias exemplum authentici
Serry Tom. II.

ticum Decreti, & Mandati, quod a te juſſum eſt promulgari in omnibus Hiſpaniarum Inquiſitionibus, quo proſcriptæ ſunt 22. Propoſitiones, quæ temere, & cum offenſione fidelium, ſparſe fuerunt ab inimicis catholicæ, ſanctæque Doctrinæ S. P. N. Auguſtini, quæ a Sede Apoſtolicæ, a Conciliis œcumenicis, & ab auctoribus Catholicis probata, & magnis encomiis celebrata ſunt. Ea encomia tam multa ſunt, tamque vulgata, ut importunum eſſet, ea a me referri: ſuppliciterque, nomine antedictarum Provinciarum, orat, non ſolum jubeas, ſibi exemplum authenticum Decreti veſtri, & Mandati tradi, verum etiam ſibi liceat, illud prelo committere, ut diſclarum Provinciarum Conventus id in Tabulariis ſuis aſſervare poſſint. Cum enim illæ Propoſitiones, non in Hiſpania procuſæ ſint, ſed altæ e Regionibus, in quibus hujus Sacri Tribunalis Cenſura nullam vim habet; juſta cauſa eſt metuendi, ne quas tam pulchro, & ſancto exemplo extinxerit ſcintillas, eæ novo aſu accendantur. Merces veſtra eſto Dominus Deus noſter.

EPISTOLA

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS

AD PATREM THOMAM FIGUEROLA

Provincia Tarraconenſis Provinciale.

JESUS. AVE MARIA.

ADMODUM REVERENDE PATER.

Cum tueri auctoritatem magni Patris noſtri Auguſtini pertineat ad cauſam communem omnium Provinciarum Ordinis noſtri, quas inter Tarraconenſis Virorum & ſanctitate, & ſcientia, & nobilitate illuſtris eſt; huic Caſtellenſi Provinciæ placuit, ut, ſuo, & Andaluſienſis, & Tarraconenſis nomine, ſupplicarem Regi, Illuſtris. Domino Inquiſitori generali, aliisque Miniſtris, quorum eſt, federe ſuſtinet bellum, quod hoc miſerrimo ſeculo B. P. N. Auguſtino indichum eſt ab iis, qui, ut placita ſua tueantur, aggreſſi ſunt, eam doctrinam evertere, quod eorum conſiliis adverſa ſit. Rex, quem Deus ſoſpitet, me ad colloquium ſecretum admittit, in quo, remotis arbitris, liceret mihi, magis dilucide exponere ea, quæ hocce Memoriali, quod cum his litteris mitto, continentur: quamvis quedam ſaris fuſe ibi explicem, aliquas e Propoſitionibus ei non ſine lacrimis recitavi. Princeps, ut eſt piſſimus, auditis iis, quæ adverſus glorioſum Patrem noſtrum fiebant, animo commotus, promiſit, ſe ea de re ad Pontificem quamprimum ſcripturum, petiſſique, ſibi omnia probari certis argumentis, quæ firmata eſſent auctoritate Rectoris Academia Lovaniſis, Notariorumque publicorum, & Eccleſiaſticorum, qui jurati aſſerunt, ſe id vidiffe, & audiviſſe. Hinc nobis certa ſpes eſt, Regem glorioſi Patris noſtri partes amplecturum. Illuſtriſſimus Dominus Inquiſitor generalis eadem pollicitus eſt. Porro inſiſti, ut non ſolum proſcriberentur dicte Propoſitiones, verum etiam ut ex libris, in quibus eſſent, expungerentur: quod longe acerbis adverſariis accidet, majoremque auctoritatem Cenſura conciliabit. Mitto tibi, admodum R. Pater, Memoriale, quod Regi obtuli, exemplumque Memorialis, quod ab Oratore Univerſitatis Lovaniſis Summo Pontifici oblatum eſt, & Judicium Inquiſitionis Valliſoletanæ, Valliſoleti, & Burgis promulgatum. Te vero, admodum R. Pater, obſecro, atque obteſtor, ut, quando Dei Providen-
Pp 2 cia

tia in ea Provincia eminentissimum locum tenes, novæ Carthaginis, Valentia, & trium reliquorum Regnorum Inquisitores orare vells, non tantum ut Censura merita præfatas Propositiones notent, sed, etiam excommunicationem interminando, mandent, ut e libri, in quibus sint, expungantur. Ea est eruditio tua, admodum R. Pater, ut existimem, eas tibi esse exploratas: fitamen opus sit, nomina Auctorum, librorumque, in quibus reperiuntur, transmittam. Porro, si quid sit, quod videatur tibi, R. P. a me posse in eo fieri amplius, jube modo, & animo libentissimo parebo. Tibi R. P. Deus Opt. Max. sit propitius. Matrini & Conventu Sancti Philippi 2. Julii 1650.

Reverentia tua

Servus demississimus

F. BARTHOLOMÆUS DE LOS RIOS.

EPISTOLA (1)

R. P. PETRI DE PERREZ,

Provincialis Andalusensis,

A D

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS.

ADMODUM REVERENDE PATER.

Litteras tuas, datas ad me 28. mensis præteriti, cum scriptis adjunctis, jamjam accipio, qua de re ago gratias. Non potui sine dolore acerbissimo intelligere, qua insolentia, atque impietate doctrina Sancti Patris nostri impetatur. Sed cognito, te, R. P., inter ejus filios tanto animo virum, causam ejus defendendam suscepisse, tres hæ Provincie, atque imprimis nostra singulari lætitia affecta est, certa spe concepta, negotium illud sic a te confectum iri, ut inde honor, & gloria ad S. Augustinum, ad ejus Filios summa utilitas redeat.

De iis, quæ adhuc acta sunt, nihil est, quod a te R. P. amplius, aut a supremo Inquisitionis Tribunali peti posse videatur. Si ea Censura, qua dignæ sunt Propositiones illæ, notentur, atque aliquæ earum, quæ in libris, aut ad verbum, aut verbis æquipollentibus sunt, si quæ tamen sunt, expungantur; eo facto, mea quidem sententia, id, quod petebamus, consecuti sumus. Quod si factum fuerit a supræma Inquisitione, non est dubium, quin ejus exemplam sequantur Inquisitiones Regni Andalusensis, & Burgenis. Si vero per nos ipsos negotium illud apud hos Inquisitores aggrediamur; metuo, ne ipsi rebus nostris moram afferamus: non enim deerunt, qui clandestinis machinationibus votis nostris obstant & negotium tardent; præsertim, cum nonnullæ ex illis Propositionibus sint in libris, quæ in manibus omnium sunt. Auctores enim metuentes, ne proferantur, expunganturque e libris suis, contentent saltem, ut differatur judicium. At nulla est moles, quæ sustineat impetum torrentis, qui a supræmo Tribunali descendat.

Propter pestem, in quibusdam Andalusie locis grassantem, nulla est libertas itinerandi, nec est facile Conventibus inter se communicare. De quo te certiorem facio, R. P. quo ea causa jam expediti non possit Librorum tuorum negotium. Si Deus velit, hæ scintillas extinguere; curabitur di-

ligenter, quicquid e re tua fuerit. Quam utiles erunt libri tui omnibus Provincie Religiosis! Tanti mihi sunt, quanti esse debent litteræ tuæ; meque per eas a te, R. P., singulari honore affectum esse, judico. Velim, mihi offeratur occasio beneficiendi tibi, reque monstrandi, nihil esse, quod tua causa non faciam. Deus Opt. Max. te suscipiet. Datum 3. Julii 1650.

ADMODUM REVERENDE PATER,

Manus tuas exosculor, meque pro omnibus servum tuum esse, profiteor.

F. PETRUS DE PERREZ.

EPISTOLA

R. P. THOMÆ FIGUEROLA,

PROVINCIALIS TARRACONENSIS,

A D

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS.

Redditæ sunt mihi, & perlecta litteræ tuæ, R. P. quas per novam Carthaginem ad me dedisti, postridie Kalendas hujus mensis, miseriamque cognovi eorum, qui temere, & insolenter S. P. N. Augustini doctrinæ contumeliam fecere. Si antea res illæ singulatim non erant mihi perspectæ, jam ita sunt, ut cum iis, quorum interest, agere possim. Te solum certiorem facio, ab hujus Inquisitionis (Tarraconensis) Tribunali datum esse Decretum ad Kalendas Apriles, & in locis omnibus solitis promulgatum, quo viginti duæ Propositiones proscribuntur, tanquam falsæ, improbabilis, absurdæ, malesonantes, piarum aurium offensivæ, temerariæ, erroneæ, sapientes hæresim, & in sanctitatem, pietatem, doctrinamque gloriosissimi Patris nostri Augustini, in Inclyti Ecclesie Columinis, perquam contumeliosæ. Quod, ex nomine omnium Provinciarum Hispaniensium, a Rege precatus es, ut auctoritatem suam apud Pontificem interponeret, ad eam causam defendendam, quam tot titulis, in Memoriali tuo commemoratis, tueri debet, a te prudentissime factum est. Ea est enim causa communis totius Ecclesie, quam & societates omnes, & privatus quisque adversus calumniam tam execrandam defendere teneatur. Curabitur hic diligentissime, quod opus erit, ut, quod ceptum est negotium adversus tantos fidei, Sanctique Patris, tot meritis conspicui, hostes, bene geratur. Obsecro te, R. P. ut, quantum in te erit, eam rem curare pergas, quemadmodum filium, cujus interest, decet; præsertim, cum proximus fonti sis, & quo hærinda aqua, ad extinguendas tam periculosarum hæresum flammæ idonea; nec tibi novum sit, aut insolitum res ejusmodi agere, in quibus te jam dudum in Belgio exercuisti. Precor a Deo Opt. Max., ut tibi, R. P. animus, viresque suppediet, ad perficiendum id, quod Ecclesie Catholice studio, & amore suscepisti; tum integram valetudinem, diuturnam vitam, honorem, pro tuis meritis, votisque meis, largiatur. Vale 3. Julii 1650.

R. PATER,

Manus tuas exosculor, sumque addictissimus tibi Servus.

F. THOMAS FIGUEROLA
humilis Prov.

EPI-

EPISTOLA

R. P. THOMÆ FIGUEROLA,

Provincialis Tarraconensis,

A D

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS.

Mitto hoc scriptum ad te, R. P. ex quo intelliges causas, quas putavi tibi a me esse exponendas, quæque venerunt mihi in mentem, postquam de his rebus conferre contigit. Videtur certe mihi, ad Rempublicam pertinere, quod R. P. propono, deinde ad materiam, de qua agitur, & ad Religionis auctoritatem firmandam conducibilis. Te, R. P. Deus Optimus Maximus in multis annos salvum, & incolumem servet. Sic vobis Valentia VII. Kal. Aug. 1650.

R. PATER,

Manus tuas exosculor, sumque addictissimus tuus famulus.

F. THOMAS FIGUEROLA
Provincialis humilis.

CAUSÆ, ET RATIONES,

Ob quas suspensendum sit denuntiatione, & expositione apud Tribunal Inquisitionis, omnique alia reificatione doloris de Propositionibus, a R. P. productis cum in Memoriali summo Pontifici anno 1644. oblato, nomine Universitatis Lovaniensis, tum in eo, quod a R. P. T. Regi, quem Deus sospitet, oblatum est, nomine Provinciarum Hispaniensium, tanquam Sancto P. N. Augustino, ejusque doctrine adversis, sunt hæ sequentes.

Prima, quod manifestum sit, querelas, quas quidem vellent, nomine totius Ordinis, deferri, proficisci ab Universitate Lovaniensi, cuius Doctores, & Professores signis apertis Societati Jesuitarum bellum inferunt, palam se illorum hostes professi, propterea quod agere ferant, proscriptas fuisse Propositiones Michaelis Baii, in ista Academia Doctoris, & Professoris; existimantes, Jesuitas esse præcipuos illius Judicii Auctores, quod eorum sollicitationibus, & impulsu esset latum. ut item Censuram multarum aliarum Propositionum, a supremis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. proscriptarum, ut videre est in Bullis, super eo editis, & insertis Bullæ Urbani VIII. an. 1641. cujus infra mentionem faciam.

Ad hæc novum odium in Societatem Jesuitarum conceperunt ex proscriptioe Libri Cornelii Jansenii, Episcopi Yprensis; qui liber posthumus erat, & ab executoribus Testamenti præfati Cornelii Jansenii in lucem editus, sub hoc titulo: Augustinus. Is liber proscriptus fuit, quia illius Auctor inter multa dogmata, quæ, ut propria, tuebatur, innovabat multas Propositiones Michaelis Baii, quæ in eo proscriptæ fuerunt, quantum jam ante Censura notatæ fuissent a summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. ut videre licet in Bulla Urbani VIII., edita 5. Martii anno 1641. Has ille Propositiones confirmabat quibusdam Sancti Augustini sententiis, perperam acceptis, eo consilio, ut demonstraret, doctrinam Jesuitarum contrariam esse Sancti Patris Nostri Augustini placitis, atque ea ratione eos in invdiam vocaret.

Theologi Lovanienses altum servarunt silentium, dum vixit Urbanus VIII., post proscriptum librum Jansenii. Illo vero e vivis sublato, & Innocentio X. in locum ejus successore, continuo 4. Novembris, anno 1644. obtulerunt ei Memorialia, quod a R. T. mihi transmissum est, quod adhuc a Pontifice contemptum fuisse, nobis compertum est, ea sine dubio de causa, quod non ignoraret, eam accusationem, & conquestionem a Theologis Lovaniensibus profectam esse; ortumque ducere ex similitate, quæ inter eos, & Jesuitas jam dudum intercessit: quod certo argumento est, eas esse plenas fraudis, & calumnie. Si enim ita se res habuissent, ut ipsi aiebant, a Pontifice sine dubio edicto emanasset pro Sancto Patre nostro Augustino, qui tam præclare de Ecclesia meritus sit. Itaque, si per sex annorum spatium, post oblatum ipsi præfatum Memorialia, id ab eo factum non est; certissime hinc conficitur, Pontificem id, quod in eo continebatur, habuisse pro fallacia, quæ adornata esset a Jesuitarum adversariis: qua suspicione laborant vehementissime Theologi Lovanienses.

Dum jam vident, inutiles fuisse fraudes suas, tentaverunt iisdem Memorialibus, iisdem Propositionibus, Sancti P. N. Augustini filios adducere, ut ejus doctrinæ defensionem susciperent, quippe quorum maxime interesset: atque ad hæc rem Patres Dominicanos administratos adhibent, qui alios religiosos Ordines sibi adjungere omni cura, & labore student, ut universi, in unum veluti corpus adunati, fortius Jesuitarum impetum sustineant, eorumque doctrinam, & Scriptores in invdiam adducant. Revoca in memoriam, R. P. ea, quæ eo consilio abhinc paucis annis ab iis facta sunt. Missus est ab Universitate Lovaniensi Doctor legatus ad Universitates Hispaniensis, qui peteret, ut, facto fœdere, vires jungerent, & in unum corpus coirent: idque re ipsa factum est, & adversus Jesuitas, eorumque doctrinam inita societates; sed inceptum ad optatum finem perducere nequit. Eo etiam recedente, quæ jam agitantur, consilia; certum enim mihi est, meras esse fallacias, quibus id unum fiet, ut manifestum evadat, quam iniquo animo sint in Jesuitas.

Alteræ, quæ me movet, ratio est hæc, quod Propositiones, quæ in Memoriali referuntur, ad nullum tribunal deferri possint, nisi de auctoribus, deque locis, unde descriptæ sunt, ante compertum sit. Ipsa, quæ Pontifici oblata fuerit, Memorialia id non declarant. Forte etiam, si in quibusdam Auctoribus reperiantur, dum diligenter res examinabitur, deprehendetur, alias esse ab iis, quæ in Memorialibus referuntur, aut ea ratione esse expressas, ut ad bonum sensum inflecti possint: non raro enim usuvenit, aut ut confingantur Propositiones, & falso attribuantur, aut ut sic mutilatæ, & truncatæ proferantur, ut, dum loca, unde sumptæ sunt, consuluntur, diversæ sint ab iis, quæ fuerint denunciata: adeoque designandi essent Auctores, locaque, unde dicuntur excerptæ. Et certe, dum id non fit, merito licet suspicari, sem aliter se habere, quam Libelli accusatorii memorant.

Tertia ratio hæc est, quod ad rem tantam incipiendam, id est, ad denunciandum eas Propositiones contra RR. PP. Societatis, ad faciendam a Reverendis iisdem Patribus disjunctionem, & alienationem, accedendumque ad Patrum Dominicanorum doctrinam, adduci debeamus maximis, & urgentissimis rationibus, quæ certissime sint, & compertissime; quas hæc in re non tantum adesse, non video, sed est etiam, cur suspicer, judicæque omnino diversas. At vero discedere ab archissima, quæ nobis cum Patribus Jesuitis con-

(1) Primum ex Hispanico, in Gallicum, tum in Gallicum in Latinum versa.

conjunctio est, sine causa certissima, id esset & animi levissimi, & nimium creduli indicium.

Quarta ratio. Sine illa Propositione, quam id nondum damus, a quibusdam Auctoribus Jesuitis asserta; aut illa typis mandata sunt: quod facile comprobare est, eas in libris eorum demonstrando; aut in disceptationis ardore, vel colloquiis familiaribus, vel sermonibus publicis ab eis pronuntiatæ: quod difficillime probari possit. Nec reperta est facilius ratio rem componendi, quam si dicatur, eas in disceptationis ardore, elapsas esse imprudentibus: sed quacumque id ratione factum sit, tantum inesse iudicio Patribus Societatis officii sui amorem, ut, si amice de eo monerentur, nostro Ordini ex omni parte facerent satis, eorumque Generalis juberet, eas e libris expungi, aut in bonum sensum explicari, aut ab Auctoribus revocari. Non enim minus interest Jesuitarum, ad opiniones suas tuendas, quam nostra, ad doctrinam nostram defendendam, ut sua S. P. N. Augustino fama, & auctoritas integra conservetur.

Itaque existimo, utrumlibet e duobus verum sit, monendus esse amice Jesuitas, potius quam ab eorum amicitia discedendum; mihi enim compertum est, eo illos esse amore in Sanctum Augustinum, in Doctrinam ejus, & Religionem, ut sperem, eos nobis honorifice satisfacturos.

Quinta ratio hæc est, quod, si a Patribus Societatis discedamus, præter ea incommoda, quæ, ut dictum est, inde nascuntur, alia longe maxima timenda sint, quæ quilibet prudentiæ consideranda relinquunt. Contra, si ad Patres Dominicanos accedimus, non potest inter nos vera esse animorum consensus, quod illi in omnibus dominari velint; vereorque, ne eam conjunctionem non alio consilio ambiant, quam, ut tentent, an qui soli Societatem vincere nequierint, eam non possint superare, adjunctis sibi aliis Ordinibus, suamque doctrinam, quam indes delabi vident, in pristinum statum restituere. E contrario in hac Tarracoenfi Provincia summa semper fuit nobis cum Societate consensus; animadvertimusque, Jesuitas nusquam non laudi sibi ducere, Sancti Patris nostri Augustini discipulos se haberi, dareque operam, ut sua placita cum Sancti Doctoris placitis ex omni parte concordent: quod Reverentiæ tuæ ex ipsorum Auctoribus, & Scriptoribus compertum esse, arbitror. Porro doctrina Societatis, & nostra jam sic concordant, ut ad placita Patrum Dominicanorum accedere nequeamus, quin eadem opera reprobemus Auctores nostros, & Scriptores, tam veteres, Egidium Romanum &c. quam recentiores, Marquezium, Antonielem, Cornejum, Basilium, Pontium, & cæteros, qui cum Jesuitis per omnia opinionibus consentiant.

Postremo, si forte apud Jesuitas privati aliqui imprudentius, & irriverentius locuti sint, existimo, non continuo universum Ordinem accusandum, nec ab eo discedendum; sed petendum esse, ut ii, qui deliquerint, jubeantur corrigere, & emendare, quod imprudentius, & inconsideratius aut dixerint, aut scripserint.

Denique mecum petendo, quo in pretio Patres Societatis, qui fere soli jam libros scribunt, habeant doctrinam Sancti Patris nostri, & quam sibi eam laudi ducant. Decorumne esset, & urbanum, ob unius, alteriusque noxam, omnia, quæ tam multi Auctores in ejus laudem dixerunt, dare oblivioni?

R. P. manus tuas exosculor, sumque tui studiosissimus Famulus.

F. THOMAS DE FIGUEROLA
Provinc. humilis.

RESPONSIO

R. P. MAGISTRI

BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS,

In Provincia Castellana Ordinis S. P. N. Augustini Primarii Definitoris, & Concionatoris Regii,

AD CAUSAS, ET RATIONES

R. P. MAGISTRI

THOMÆ DE FIGUEROLA,

In Provincia Tarracoenfi ejusdem Ordinis S. P. N. Augustini Provinc.

Certe vehementer miror, te, R. P. causis, & rationibus allatis agere, ut apud sacrum Inquisitionis Tribunal super sedemus accusatione, & expostulatione de Propositionibus, quarum Censuram, & proscriptionem ad verbum retulisti in litteris, ad me datis 12. Julii, quatuordecim diebus antequam illas rationes transmitteres; quibus litteris me certior fecisti, Censuram illam jam inde a primo die Aprilis Valentie fuisse publicatam. Eo factum est, ut suspicarer, eas rationes profectas esse ab aliquo eorum, ad quos hæc res spectat, quibuscumque velle te de eo negotio conferre, superioribus tuis litteris scripseras. Idque mihi satis compertum videtur multis de causis, quas jam commemorare, nihil attinet. Id unum agam, ut præcipua consitem Rationum illarum capita, quibus illi nos eludi potuisse sperarunt, quamquam omnes una opera refellere possem, dicendo, nullam Jesuitarum factam esse mentionem, neque in Memoriali, Innocentio X. Pontifici a Lovaniensibus oblato, neque in eo, quem Regi, nomine Provinciarum, obtuli.

Quæ una responsio evertit omnem illam causam, & rationum machinam, quæ cum non nisi ad defensionem Societatis excogitata videntur, suspicionem creare possent, eos in re summi momenti parum amico in nos esse animo; quandoquidem per te, R. P. defensionem, & excusationem adhibeat in eo, in quo nemo esse accusat. Sed illis omittis, cum Propositiones illæ fiat in S. P. N. Augustinum contumeliosissimæ, hicque in vulgi manibus versentur, ajo, id unum, quicumque demum earum auctores sint, satis esse, ut, ne super sedemus omni justificatione doloris, & quod officium a nobis exigit, Patris nostri defensionem suscipiamus, deserendo Propositiones illas ad sacrum Inquisitionis Tribunal, ut ab eo Censura merito notentur, ut olim agebat in re non absimili Gelasius Pontifex: Non putavimus, ullatenus differendum, quo minus hæc diligentius inquirentes, aut si fortasse subreperant, de proximo sanarentur, aut anxietatem nostram, si falso probarentur jactata, releverent; æstimantes melius, nos videri impatientius talia investigare voluisse, quam crescere, dissimulando, perniciem: neque enim vel silentio promere causas hujusmodi, vel differendo sovere deberemus, cum, dicente Magistro gentium, Sollicitudine non pigri; atque iterum, Qui præest, in sollicitudine: Reos procul dubio nos, nisi continuo quaereremus, etiam si inaniter essent vulgata, convincerent. Nec interest, per quos ad aures nostras eadem pervenissent, dum quomodolibet ista referentibus, postquam nostram conscientiam penetrarent, in iis veraciter indagandis pastorales excubias esse non oportuerit negligentes, quatenus vel e vestigi-

gio

gio passer lupis inhiantibus obviari, vel, nullis existentibus feris, ovium custodia secura persistere.

Jam ad rationes allatas venio: & ad primam dico, neminem aut fuisse, aut futurum, quo auctore Ordini nostro opus sit, ut ad auctoritatem Sancti Patris nostri Augustini defendendam incitetur, quando per se sufficienter viri tam sancti, & Doctoris tam eximii præclara merita; atque ad id satis esse nobis debet, quod nos ejus filios professi, ipsius habitu, cinguloque utamur. Sed detur, quempiam nobis fuisse auctorem causæ Patris nostri suscipiendæ; num ideo rejiciendum erit consilium, aut non potius animo grato accipiendum; quando, nullo etiam auctore, fortiter tueri debemus, quem sibi Pater noster peperit, honorem, & exitum omnem.

Quod attinet ad Universitatem Lovaniensem, mihi pro certo compertum est, propositiones illas ad Inquisitionis Tribunal ante delatas fuisse, quam sciret. Quod si illa accusatio ab ea profecta esset; nihil ab ea factum foret, quod a Theologis, ab ortu, & fundatione ejus, dique ante institutum Jesuitarum Societatem, factum non sit, quippe qui se diligentissimos Sancti Patris nostri Augustini discipulos, ejusque doctrinæ, & auctoritatis defensores strenuissimos professi sunt. Hæc affirmo, ut telus oculatus, utque Doctor & Lovaniensis, & Duacenus, postquam ea longo experimento didici; quippe qui quinque supra viginti annos in Belgio demoratus, viderim eo loci, quo amore, & quaque reverentia Lovanienses Sanctum Patrem nostrum Augustinum profectantur. Porro si Doctores, & Professores Universitatis Lovaniensis signis aperti bellum inserunt, palamque se hostes profectantur eorum omnium, qui dogmata, a doctrina Sancti Augustini Patris nostri, atque eorum Magistrum, aliena, sive in libris, sive in disputationibus, sive alia ratione docent, ipsi quidem, quod mihi compertissimum est, faciunt, quod sui officii est.

Illud etiam mihi compertum est, Jesuitas illius disensionis, quæ dudum fuit, & etiamnum est inter eos, & illam Universitatem, auctores esse. Vix enim eo pedem intulerant, cum coeperunt opinionem a Sancti Augustini placitis alienissimas publice docere. Quare nihil mirum est, si illius Universitatis Theologi, ea re commoti, existimant officii sui esse, palam se Magistrum sui, quem a quibusdam Jesuitis appeti videbant, defensores profiteri. Eo factum est, ut quasdam propositiones temerarias, & falsas, a quibusdam Jesuitis, Theologia Professoribus, assertas, censura notarent: quod tamen ab iis factum non fuit, nisi postquam Jesuitas amice monuerant, ut eas opiniones dimitterent.

In præfatione Censuræ suæ quatuor rationes adferunt, quibus adducti ad eam ferendam fuerant, primamque efferunt per hæc verba, maxime notanda, & genuinis Viri tam sancti, Doctorisque tam eximii discipulis dignissima: In primis quod D. Augustini de Gratia, & libero arbitrio, deque Prædestinatione, & reprobatione doctrinam, in qua tuenda, explicanda, & illustranda tot annis, tot editis libris, tanta diligentia, atque instantia Vir, tanto ingenio, tanta sapientia, tot Dei donibus tam excellenter ornatus, jam ævi maturus, ac senex pro Dei Ecclesiæ delectavit, non in aliqua, ut dicitis, sui particula, sed totam propemodum ex proposito oppugnari, funditusque destrui, ac everti, videmus.

Adeoque, dum sese Theologis Societatis opponerent, imprimis, & ante omnia, Sancti Augustini, quem ipsi ut Magistrum, nos ut Patrem

veneramus, & colimus, gloriam, auctoritatem, & doctrinam spectantur: quod quam æquum sit, tu judica. Vellem ego, R. P. ut Censuram Lovaniensem, ejusque Justificationem haberet: ex ea intelligeret, quibus rationibus moti, non sancto Societatis Instituto, sed quorundam filiorum ejus opinionibus advenisset.

Non sola Lovaniensis Universitatis neotericis quorundam Jesuitarum opinionibus sese opposuit. Duacensis eadem sub idem tempus censura notavit; idque fecerunt, rogatæ ab Archiepiscopis, & Episcopis Belgii, quos non minus opiniones illæ offenderant. Porro Universitatum illarum Censuræ prælo datæ sunt, uti omnibus innotesceret, esse homines, qui indes magis incumbere ad destruendam auctoritatem S. P. N. Augustini, ejusque doctrinam everterendam. Nemo vero ignorat, quo in pretio sint Censuræ illæ, quæve sit earum æquitas, ac momentum.

Non sine omnium nostrum pudore fatendum est, & nos, & universam Ecclesiam Theologis Lovaniensibus omnino debere, quod S. P. N. Augustini scripta in pulvere sepulta non jaceant, aut in Bibliothecarum angulos abjecta. Ipsi enim summo, & singulari studio, illius doctrinam adversus ejus adversarios, & calumniatores propugnant: ipsi labore immenso, & summo in religionem amore, omnia ejus Opera, cum ductentis, & amplius exemplaribus collata, emendantur, præcepto nobis pulcherrimo illo & honore, & præmio. Profecto agendæ sunt Deo Optimo Maximo gratiæ, quod ea recognitio, atque emendatio ante sit facta, quam id curæ sibi fumerent Jesuitæ, atque imprimis Joannes Martinez de Ripalda; male enim multatus, & mutilatus ex ejus manibus prodidisset Sanctus Augustinus, ut infra demonstrabimus.

Cardinalis Baronius Theologorum Lovaniensium in S. Augustinum Annotationes, & Observationes commendandas, illam Universitatem, doctissimam Lovaniensem Scholam appellat. Ipse Vasquezius (1) faterur, Lovanienses S. Augustino esse addictissimos.

Jam igitur, R. P. tibi perspectum erit, Theologos Lovanienses non ea de causa Jesuitas obstinuisse, quod existimarent, illis præsertim auctoribus, Michaelis Baii propositiones scriptas fuisse, aut ab iis petitam fuisse Censuram; non enim ignorant, quam ea falsa sint; rei que illius auctores sigillatim norunt. Nondum eo potentia devenit Jesuitarum Societas, ut de hoste, quamvis parvo, se vindicare posset; vixque in Lovaniam pedem intulerat, cum in ea Urbe publicata fuit Bulla, in Bajam lata, quod anno 1567. factam est. Jam vero quæ credat, Societatem statim ab ingressu suo in eam Urbem, ac eo tempore, quo Universitatis egebat auxilio, voluisse ejus in se odia concitare?

Immo vero tantum abest, ut Theologi Lovanienses ægre tulerint, prohibitas, & notatas fuisse Michaelis Baii Propositiones, ut religiosissime Bullam illam revererant, & observert, nemoque in ea Universitate laurea doctorali decoretur, nisi qui se Sacramento solemniter ad eam servandam obstrinxerit.

Verum non possunt non ægerime ferre, quod vident, a Jesuitis quibusdam Bullam istam ad sensum trahi plane alienum ab eo, in quo ab aliis intelligitur, eaque ad commoda sua abutantur. Vasquezius, Turrianus, alique Societatis Scriptores nonnullas ex iis Propositionibus, quæ in Bulla Pii V. expressæ sunt, propugnant, ajuntque, eas neque ut hereticas, neque ut falsas

no-

(1) In 1. 2. disp. 190. c. 17.